



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 996. Cujus consensus necessarius ad erectionem novæ Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

me accuratius tractantem in foro benef. p. 1. qn. 157. n. 4.

Quæst. 996. Cujus consensus necessarius ad erectionem novæ Ecclesiæ?

1. Resp. præter enumeratas condiciones necessarius est ad erectionem novæ Ecclesiæ consensus primò Papæ, dum ædificanda est Ecclesia in loco exempto à jurisdictione Ordinarii, ita ut nemo eam ibi extruere possit sine licentia vel privilegio sedis Apostolicæ, c. *authoritate*, §. *prohibemus. de privil. in 6.* Azor. p. 2. L. 9. c. 3. q. 4. In locis verò non exemptis seu jurisdictioni Episcopi subiectis, ut ædificetur Ecclesia, etiam cum dismembratione veteris parochialis requiritur & sufficit consensus Episcopi diocæsani idque, etiam si persona ædificans sit exempta à jurisdictione Episcopi. c. *authoritate*. Barbof. *jur. Ecclesiast. L. 2. n. 15.* Pirh. *h. r. n. 1.* Azor. *l. c. juxta cit. Can. nemo.* & *Novell. 67. c. 1.* In eo verò num sufficiat hunc consensum esse tacitum, in eo consistens, quòd is sciverit, extrui Ecclesiam, & non impediverit aut contradixerit, dum sine incommodo potuisset, an requiratur necessariò expressus, non conveniunt AA. prius ob favorem piæ intentionis tenent Barbof. *jur. Ecclesiast. L. 2. c. 2. n. 17.* Azor. *l. c. q. 6.* Pirh. *h. r. n. 7.* Wiestn. *n. 3.* Engels *h. r. n. 4.* posterius tanquam utriusque juri & rationi conformius docent Reiffenst. *h. r. n. 7.* & alii cum Abbate idem dicentes de ratificatione, idque probant ex eo, quòd, etiam Adversariis fatentibus, de jure requiratur ut Episcopus primùm lapidem ponat & ibi crucem defigat per se vel per alium de ejus consensu, quæ necessariò supponunt consensum expressum & per consensum tacitum aut subsequenter rati habitationem suppleri non possunt, ut patet. Quòd si tamen privatus quis vellet construere Ecclesiam assignata sufficiente dote, & Episcopus sine justa causa consentire nollet, & ea, quæ sui sunt muneris per se vel alium præstare renueret, poterit recurri ad ejus superiorem nempe metropolitanum, ut vel is ipsemet consensum præstet, vel auctoritate sua Episcopum ad consentiendum compellat. Azor. *l. c. q. 9.* Barb. *l. c. n. 2.* Platelius *pr. Episc. p. 1. c. 2. a. 4.* Pirh. *h. r. n. 2.* Wiestn. *n. 3.* Arg. *c. nullus de jurep.* multoque minùs, ut Barb. *l. c.* testans sic à Rota decisum, poterit Episcopus sine rationabili causa se opponere Ecclesiæ jam constructæ & dotatæ dilatoriè per adjecta ad illius exornationem nova ædificia; cum id cedat in divini cultus augmentum, cessentque ferè in tali ampliatione rationes, ob quas quandoque ædificatio novæ Ecclesiæ impediri potest.

2. Secundo præter consensum Episcopi requiritur quoque non tantum consilium sed & consensus Capituli Cathedralis ad extruccionem novæ parochialis intra fines antiquæ parochiæ Arg. *c. pastoralis. in fine. de donation.* Host. *ad c. 3. b. i. n. 2.* Fagn. *ibid. n. 10.* Pirh. *h. r. n. 10.* Wiestn. *n. 8.* Reiffenst. *n. 19.* ex ea ratione quòd talis extruccio, utpote continens divisionem seu dismembrationem aliquam antiquæ parochiæ, ejusdem juri ac reddituum diminutionem, sit species alienationis rerum Ecclesiasticarum, quam facere nequit Episcopus sine consensu Capituli sui juxta *cit. c. pastoralis. c. tua. c. cum nos. de his, quæ sunt à prelat. sine consi.* Verùm hæc se ita habent, dum procedit Episcopus jure suo ordinario, nimirum dum ædificatur nova Ecclesia intra limites veteris non exemptæ, seu non subiectæ regularibus exemptis; non verò si ædificetur intra limites parochiæ exemptæ,

in quo casu necesse habet procedere jure delegato, seu tanquam sedis Apostolicæ delegatus, prout ei conceditur à Concil. Trid. *sess. 21. c. 4.* tunc enim non requiritur dictus consensus, aut etiam concilium; cum ut talis, seu ut taliter procedens non habeat conjunctionem seu communicationem cum Capitulo suo. Fagn. *l. c. n. 53. & 54.* Socin. *in c. 8. de excessib. Præl.* Pirh. *l. c.* Wiestn. *h. r. n. 10.* Arg. *L. 1. §. 1. ff. de eo, cui mandata.*

3. Tertio consensus patroni veteris Ecclesiæ, saltem si nova Ecclesia parochialis dotanda sit de redditibus dotatæ ab eo Ecclesiæ matricis; cum ejus tunc intersit; quia reddituum parte in novam translata, beneficium matrici Ecclesiæ ab ipso factum minùs redditur æstimabile, & minùs grati futuri sint præsentandi illam, quamvis, dum necessitas postulat ædificationem novæ, ad hanc eo invito, & non obstante hoc ejus præjudicio, procedi possit, Arg. *c. ad audientiam.* permittentis tunc ædificationem etiam invito rectori Ecclesiæ matricis, etsi eà illi magis præjudicetur quàm Patrono Ecclesiæ. Ita fere Wiestn. *n. 16.* de cætero consensum patronorum minime requirendum aut curandum absolute pronunciat Lotter. *Loc. mox citand.*

4. Quarto requiri quoque ad constitutionem novæ cum dismembratione antiquæ Parochialis consensum Rectoris ejusdem propter grave præjudicium, quod etiam illi ex eo creatur, docent C. de *Luc. de paroch. d. 35. n. 6.* Lotter. *de reb. benef. L. 1. q. 28. n. 6. & seq.* secus, ac iis requiritur in unione Ecclesiæ. ut Idem *n. 7.* citatis Imol. & Anchar. qui etiam *ibidem* §. *n. 14. & 15.* censet pro validitate dismembrationis sufficere hunc consensum supervenientem, ac sic alienationem ex nunc præstiti consensu. Item etiam scripto non sit exceptus, secus, ac requiritur in decreto superioris alienationem necessariò præcedente. Item *n. 18. & seq.* tradit, Rectorem, cujus consensus requiritur, non esse Vicarium, cui solum curæ exercitium commissum; sed penes quem residet cura habitualis, & ubi est Capitulum, non sufficere consensum singulorum de Capitulo, sed consensum præbitum capitulariter. Tide me *in for. benef. p. 1. q. 157. n. 4.* reliqua quæ spectant ad Ecclesiarum parochialium constitutionem, dismembrationem & alia vide apud me *in for. benef. p. 1. à n. 144. ad q. 173.*

Quæst. 997. Cujus consensus requiratur ad constructionem novorum monasteriorum, & qualiter, & ex qua causa illa præstandus?

1. Resp. primò: ante omnia requiri consensum Principis territorialis contra Barbofam *jur. Eccles. L. 2. c. 2. n. 2. & 3.* Lezan. *V. monasteria. n. 29.* Donatum & alios probabilius tenet Reiffenst. *h. r. n. 30.* cum Marchant. *in notabil. resol. var. cas.* & aliis ex ea ratione, quòd in erectione novorum monasteriorum semper interveniant quædam temporalia & politica. v. g. de fundo, de mediis, quibus se velint sustentare novi religiosi; an non monasterium novum vergat in gravamen seu præjudicium Principis vel subditorum ejus, adeoque in his judicandi, concedendi aut negandi consensum, potestatem habet Princeps, uti id ipsum confirmatur praxi & consuetudine universali, estque hinc consensus ad vitanda multa inconvenientia priùs obtinendus à Principe & exhibendus Episcopo, antequam is ædificare volentes audiat. Reiffenst. *l. c. n. 49.*

2. Resp.